



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis,  
Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis**

**Nieremberg, Juan Eusebio**

**Paderbornæ, 1711**

Decas VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)



rogos inter, omniâque cruciamentorum genera, eam dimittat.

*DECAS VII.*

61. Seu gaudio perfundaris, seu mœſtiſſiâ: ſive cœlum ſolatia depluat, ſive mentem ariditas exſiccet, eodem ſemper vultu, adhærendum eſt uni gloriæ, cultuiq; Numinis, hanc viam niſi quis teneat, lentis paſſibus progreſſurus eſt ad virtutem: quin ſemper initiis ſuis inhærebit amando, & contemplando, quod ingenium aut natura ſuggeſſerit, non obſequendo Rationi, quæ ſpiritui famulari debet, ducumque ejus ſequi.

62. Voluntas Dei eſt, ut tibi infra nihil vileſcas, te humilies, & generoſè vincas, multa patienter ſufferas, non commodis tuis ſtudeas, neque aliò tota mente feraris, quàm ut rerum omnium Moderatori placeas.

63. Gaudium, & triſtitia, ſi modum excedant, ex æquo nocent, mentemque turbant. Loquor de profuſa illa hilaritate ac mœſtitia, quæ ſenſum afficit, & temperiem ſolvit. Nam ſpiritualis commenfuranda eſt odio rerum aut amori, & ex earum cognitione perficienda,



64. Parcè quoque exultandum in coelestium deliciarum affluxu; uti nec tristandum imodicè in mœsta animi orbitate ac pressura. Cùm enim hi affectus sensibiles sint, facilè Rationi officiunt, & in damna præcipitant non ex æquo reparanda. Ipse etiam erratorum dolor alioquin tam salubris, si modum excefferit, potis est hominem spe salutis dejicere.

65. Igitur quemadmodum Spiritus malignus illam tristitiæ intemperiem adhibet uti instrumentum, ad dejiciendum omnimodè afflicti animum: ità hilaritatem immodicam in eum usum transfert, ut nos ultra recti decoriq; limites quàm longissimè abripiat.

66. Probatissima agendi norma illa duntaxat est, quæ cum recto rationis usu, non cum ingenio appetitioneque nostra consentit. Ratio sola agendorum omen est, & unicum morum remedium.

67. Servire Domino in lætitia laudatissimum est; at non exindè rejicienda est mœstitia Dei dispositione immissa. Nempe squalor, & lacrymæ exilio nostro magis conveniunt. Neutri quidem se im-

Hs

mergen-



mergendum nimis, lugendum tamen potius in hac valle lacrymarum, & differenda gaudia alibi proventura.

68. Sensualis animi voluptas, solatia teneriora, imò & Pauli asserto coelestium aut futurorum clara cognitio, atque ipsa cum Deo familiaris collocutio, non nisi dulciaria sunt teneræ virtutis, pabulumque parvulorum. Hæc omnia se compati possunt cum homine subdito peccatis. Adulta virtus non eget his cupediis, alitur cibo fortiori, mortificatione, afflictione, durorum tolerantia, cruce ex amore Dei jugiter ferenda.

69. Naturæ lege adstringimur, ut ad normam Rationis vivamus; verum affectu seducimur, impetu acti, & nostri amore. Non metimur res ad recti legem, sed ad imperium cupiditatis: non ad charitatis jura, sed ad nutum propensionis, & amoris proprii.

70. Si animus tibi est, tua ex Rationis arbitrio moderari, Deum tibi antetuleris, proximum ad minus æquaris. Eâdem bilance expendenda sunt commoda propria ac aliena; neque minus pondus ab-  
jicien-



judicandum, cum danda largiris, quam cum data recipis.

*DECAS VIII.*

71. Ut pro cæteris sanè judices, fac semper proximus personam tuam occupet, & tu illius. Si malè habitus es, cogita te alterum malè accepisse. Si offensusi quempiam, credito te ab alio offensusum: ità querelas tuas sapienter composueris.

72. Quod in alterum contuleris, nunquam videatur magnum; quod ab alio acceperis, nunquam parvum. In minuta aliorum errata nè irruas acerbis arbiter, neque tua graviora excuses quasi nescius errare.

73. Non expetas semper aliis justitiam, tibi verò gratiam; alios strictè, te clementer ac suaviter haberi. Quæ maledici imponunt, non te commoveant illico, illud autem, quod tu dixeris, nè innocuum putes.

74. Si quem propensius colueris, non continuò à culpa exemptum credas: neque si quem oderis, confestim quidquid egerit, scelestum putes. Malè semper